



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Nucleus Practici Tractatus, De Legibus**

**Marchius, Ewald**

**Coloniæ Agrippinæ, 1660 [erschienen] 1661**

Cap. XXXI. Quomodo actu[s] consuetudinis qui sunt contra legem, possint contra eam præscribere si sint malæ fidei, & quantum temporis requiratur, ut consuetudo præscribat contra Legem

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42256**

*Quomodo actus Consuetudinis, qui sunt contra Legem, possint contra eam præscribere, si sint malæ fidei, & quantum temporis requiratur, ut consuetudo præscribat contra Legem?*

**R**espondeo, quod licet in principio facientes contra Legem, peccent, & mala fide agant, tamen eorum successores possunt præsumere ex aliquâ iustâ & sufficiente causâ, vel ex Principum conniventia, non fuisse servatam talem Legem, atque ita bonâ fide continuare non observationem. A tempore autem istius bonæ fidei currere tempus requisitum ad Præscriptionem. Deinde videtur etiam fieri posse, quod talis consuetudo à bona fide inchoetur, puta si subditi probabiliter putent, materiam Legis sive circumstantias, ita esse mutatas, ut Lex cessare debeat, & eo nomine non observant, quia existimant, Legem amisisse vires suas, licet interim, revera istæ rationes non sint tantæ, quod propter illas Lex per se desierit esse, nihilominus tamen ex illâ suâ opinione non observant Legem, idque per debitum tempus continuant.

Hinc etiam non videtur absolute necessarium, quod actus contra Legem, quibus ea tollitur, ab initio sint peccaminosi quod su-

pra

pra dictum est, docere Suarez; licet necessarium sit, quod Lex cognoscatur, & quod actus sint contra Legem: quia non est necessarium, quod contra facientes existiment, aut sciant, Legem adhuc habere vires, sed satis est, quod velint simpliciter non facere, quod Legge continetur, sic quod nolint hoc amplius, tanquam Legem observare, sive ex contumacia, sive ex aliqua probabili ratione, & bona fide. Ita ex Cajetano & Panormitano in cap. 1. de Feudis. Wiggers loco citato.

Quo ad tempus vero quod requiritur, ut consuetudo praescribat contra Legem? Respondeo breviter cum distinctione, quam Doctores omnes adhibent, scilicet quod ad praescriptionem contra Legem civilem requiratur, ac etiam sufficiat tempus decem annorum: Ad Praescriptionem vero contra Canones requiratur tempus annorum 40. ut etiam in Nucleo meo de Jure & Justitia capit. 7. docui. Prior pars patet, quia Jus civile, sive ad Legem inducendam, sive ad eam abrogandam, requirit tantum tempus longævum, ut constat ex lege de quibus, tempus autem longævum ut in eodem Jure definitur est tempus decem annorum, ut habetur in constit. de usucapionibus. §. 1.

Posterior pars est communis sententia. Ita

Innocentius in capit. cū Dilectus de Consuetudine. Panormitanus in capit. ult. & capit. 1. de Feudis & pace Antoninus l. part. tit. 6. §. 4 Sylvester verbo Cōsuetudo q. 4. & alij summiſtæ ad idem verbum.

Et probari potest, quia Præscriptio legitima contra Ecclesiam requirit tempus 40. annorum juxta Capitulum ad aures, cum alij tit. de Præscr. Consuetudo autem contra Canones potest merito dici contra Ecclesiam, cum sit contra Ecclesiastica Jura, & ideo ejus Præscriptio, ut sit legitima, debet esse quadragenaria.

#### C A P U T XXXII.

*An Consuetudo rationabilis possit inducere Legem non scriptam, & quid ad eam in tali casu requiratur.*

**R**espondeo, quod possit inducere legem non scriptam, ubi Lex non erat, idque tum via conniventia, tum via Præscriptionis Suarez lib. 7. de legibus cap. 16. addens, quod etiam possit Legem pœnalem inducere, ubi in primis hoc

Notandum est, quod licet consuetudo facti, aliquando sit irrationabilis, v. g. quia actus sunt contra Legem naturæ, aut divinam, vel contra honestatem. Nunquam tamen consuetudinem Juris posse esse irrationabilem, si-